

Universitätsbibliothek Paderborn

Rosa In Hieme

Mertz, Martin Antverpiæ, 1627

Capvt XVI. Parsimonia VVilhelmi & Temperantia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42750

ORDINIS PRAEMONST. 69 tualium iussu ab eo portando (ne se omnino conficeret) abstrahi & absterreri potuit. Flagellis quantum in se sæuierit, quam dire corpus diuerberauerit, quamque seueras de seipso pœnas sumpserit, non est quòd multum explicem : etenim & huic generi poenæ deditissimus fuit. Dilingæ porrò ad omnimodam corporis subiectione parandam vix vmquam lecto vsum, sed maximam partem vestitum, culcitra straminea & duro assere eum cubare solitum, ab illius coæuo certa fide accepimus. Nec minor fuit in alijs austeritatibus vitæ, ita vt hominibus, etiam vulgaribus & rusticanis, magnam de se opinionem & admirationem sanctæ vitæ fecerit: quod plures mihi aliifque postmodum fuere fassi, cum in sermoné de VVIL-HELMO incidissemus; qui ducti argumentis mortificationum aliarumque præclarè non minus quam seuere in seipsum gestarum rerum, qualis ipsius vita foret & sanditas, coniecturam rectè faciebant.

CAPVT XVI.

Parsimonia VVILHELMI & Temperantia.

CAPVT hoc fortitur campum materiæ vbertate fertilissimum, qui complectitur integritatis certissima propugnacula ac E 3 fortia,

70 VITA WILHELMI ROTHENSIS fortia, in quibus securè lateat vallata, quique continet veræ pietatis indubitatum asylum, & est parsimonia ac frugalitas, seu temperantia in victu: quæ sola virtus, vitiorum fomite aut profligato aut eneruato, homini securam facit innocentiam, promptamque ad omnia spiritualia mentem. Cuius studiosissimus erat noster VVIL-HELMVS: præter regularia enim & crebra iciunia, quibus alacer hilarisque se afflixit, in quotidiano victu tantam frugalitatem adhibuit, tanto que temperantiæ sale singulas mensas condinit, vt vix vitæ sustentandæ, quæ sumpserat, sufficere posse iudicasses. Vino semper modico & parce vtebatur, sciens nihil ita certam teneris Religiosorum animis & corporibus perniciem interitumque adferre, quam vinolentiam & Bacchi cultum immodicum; comessationes & mensas compotatorum super omnia perosus, memor illius Sapientiæ, quod sibi pro monumento perpetuò exscripserat: Noli esse in conuiuis potatorum, necin comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio. adeò vt quo tempore alij compotationibus recreatiuis, vt putabatur, studebant, ipse in cellam suam abditus orationi aut alijs

ORDINIS PRAEMONST. 71 alijs pijs exercitationibus vacaret. Dilinga discedens, alicubique diuertens, inuitatus erat ad mensam opiparam & lautum epulum; ipse verò contrà obtestatus, vt liceret sibi cum Nouitijs in Refectorio relictis coenam sumere, maluit ibi paucis & vilibus contentus viuere, quam splendide inter Maiores epulari: ibi verò ita parcè sese refecisse, ita hilarem intereà assidentibus se ostendisse, ita modestum ac verecundum se exhibuisse, itaque assidue de rebus cælestibus collocutum fuisse, mihi qui ipse interfuit, retulit, vt præsentes plus ipsius exemplo, quam vllo alio vel exquisitissimo epulo, recreati gauderent.

CAPVT XVII.

Mansuetudo VVILHELMI & Patientia.

Er at bonus hic Iuuenis naturæ aliàs præferuidæ, quæ cholera dominio nimio superante magnos irarum suctus & graues aduersorum affectuú procellas sub eius pectore quàm sæpissimè & validissimè excitauit: quam tamen naturæ serociam adeò eneruauit & euicit, particulari examine in eam rem conscientiam seuerè vrgendo, vt ad omnem rerum aduersarum incursum primos animi motus adeò facilè E 4 repri-

u

n

 \mathbf{n}